



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtrum ignorantia consequens non affectata quando est causa
operis, faciat inuoluntarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

D V B I V M I I
Virum Ignorantia Antecedens, quando est causa operis, faciat opus involuntarium?

46

Respondeo & Dico Primò, Ignorantia Antecedens, id est, ea quæ prorsus est involuntaria, quando est causa operis, facit absolute involuntariū. Ita D. Thomas hoc loco & Damascenus lib. 2. de Fide, cap. 24. cum ait: *Hic quod per ignorantiam fit, est in spontaneum, si ignorantia causam non dedimus.* Et Nemesius lib. de homine, cap. 31. iisdem verbis.

Ratio est, Quia id quod ex ignorantia involuntaria fit, nihil habet voluntarij, & præterea voluntati repugnat: ergo &c. Quod nihil voluntarij habeat, probatur; neque enim est in seipso volitum, cum non sit cognitum: neque est etiam volitum in sua causa, nempe in ipsa ignorantia; quia hæc est omnino involuntaria. Quare opus illud neque directè, neque indirectè est voluntarium. Quod etiam repugnet voluntati, saltem implicite, patet: nam voluntas sic est disposita, vt si sciret, nollet; vnde postea cum scierit, dolet; quod est signum involuntarij, vt docet Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. Talia sunt omnia, quæ homines per ignorantiam inculpata faciunt; siue sit ignorantia iuris, siue facti.

Hic tamen aduerte, Id quod per ignorantiam antecedentem fit, esse involuntarium secundum eam rationem, easque circumstantias, secundum quas ex ignorantia procedit; non autem secundum alias; vt docent Damascenus & Nemesius supra. Sic Iudas involuntariè cognouit Thamar suam nurum, quatenus erat nurus; vnde non commisit incestum coram Deo: tamen commisit fornicationem; quia sciebat esse non suam; & ita voluntariè cognouit, vt non suam: involuntariè vt nurum. Ignorantia enim non facit, vt actus secundum omnem rationem & circumstantiam consideratus, sit involuntarius; sed solum secundum eam rationem & circumstantiam, secundum quam ab ea procedit. Vide Almainum c. 4. Tract. 1. Moralium. Et Alfonso à Castro lib. 4. de potestate legis pœnalis cap. 14.

Petes, Quomodo ignorantia dicitur causare involuntarium? Respondeo, Occultando obiectum vel alias circumstantias; & consequenter efficiendo vt homo solum videat id, quod voluntati placet, non videat quod displicet; & sic iudicet esse amplectendum, quod aliàs non iudicaret. Itaque est causa operis, quatenus facit intellectum errare in iudicio practico, & interdum etiam in speculatiuo: vt cum Iacob putaret Liam esse Rachelem, eò quod ignoraret esse Liam: tunc enim habebat iudicium speculatiuum falsum, nempe, Hæc est vxor meâ.

Dices, Involuntarium est quod voluntati repugnat & displicet: atqui ignorantia non est causa, vt opus voluntati displiceat: ergo ipsa non facit involuntarium.

Respondeo Negando Consequentiam; Ignorantia enim dicitur facere involuntarium, quia est causa operis, quod voluntati displicet; quamuis non sit causa displicentia. Itaque facit involuntarium materialiter. Id autem quod est causa

cur opus voluntati displiceat, facit involuntarium formaliter; hoc autem est vel conditio operis naturâ suâ repugnans voluntati, vel libertas voluntatis pro arbitrio aliquid nolens.

Aduerte tamen, Ab ignorantia provenire vt opus formaliter sit non voluntarium: quia etsi ignorantia non sit causa, cur opus displiceat voluntati, est tamen directè causa, cur actu non placeat, siue cur actu non sit volitum; ac proinde cur sit non voluntarium; vt colligitur ex ijs quæ circa art. 1. dicta sunt.

Dico Secundò, Ignorantia antecedens non minuit voluntarium, sed omnino tollit. Patet, quia facit, vt opus absolute sit non voluntarium.

D V B I V M I I

Virum Ignorantia Consequens non affectata, quando est causa operis, faciat Involuntarium?

Respondeo & Dico Primò, Ignorantia consequens non affectata facit actum, cuius ipsa est causa, absolute voluntarium; secundum quid involuntarium. Patet ex Auctoribus supra citatis.

Prior pars probatur, Quia etsi ille actus non sit directè, & in se voluntarius; tamen est voluntarius indirectè, scilicet in causa sua, quæ est ignorantia voluntaria. Quod enim ex causa voluntaria fit, absolute voluntarium censetur. Vnde hæc ignorantia non excusat à tota culpa.

Alter pars probatur, Quia qui ex tali ignorantia operatur, ita est animo affectus, vt si sciret, nollet facere: ergo saltem ex parte involuntariè facit; cuius signum est, quod statim ac scierit, quid fecerit, doleat.

Dices Primò, Hæc ignorantia facit opus voluntarium: ergo non facit involuntarium. Consequentia patet, quia hæc non possunt ab eadem causa proficisci, cum sint contraria.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia sub diuersa ratione facit vtrumque. Facit enim voluntarium non per seipsam, sed ratione suæ causæ, per quam & ipsa ignorantia est voluntaria: non enim opus est voluntariū quia ex ignorantia; sed quia ex voluntaria ignorantia. Involuntariū autem facit secundum seipsam quidem, sed solum per accidens & materialiter; quatenus est causa operis quod voluntati displicet. Simili modo metus facit, vt opus sit absolute voluntarium; & tamen facit etiam ex parte involuntarium. Ad confirmationem, voluntarium absolute, & involuntarium ex parte, non sunt contraria: vnde possunt in eundem actum conuenire, & ab eadem causa. Nam voluntas ipsa directè est causa vtriusque, etsi per diuersos actus, à quibus hæc denominatio alicui vni actui conuenit: aliunde enim habet actus quod dicatur voluntarius, aliunde quod involuntarius; vt patet ex dictis.

Dices Secundò, Ad voluntarium requiritur, vt fiat cum cognitione; vt patet ex dictis art. 1. Atqui cum aliquid sit ex ignorantia, deest cognitio eius quod fit: ergo non censetur voluntarium.

Respondeo, Quando aliquid est voluntarium non in se, sed in causa tantum, sufficit in causa esse illud cognitum & confusè. Itaque cum hic

E ignorantia

48.
 Ignorantia non affectata facit voluntarium secundum quid involuntarium.

Iudas vt accessit ad Thamar.

47
 Quo modo ignorantia sit causa involuntarij.

Iacob vt accessit ad Liam.

ignorantia sit causa operis, sufficit ut homo ignorantiam suam cognoscat, & ex illa posse in genere aliquid mali, vel omitendo, vel committendo, sequi. Cognoscit autem suam ignorantiam, quando aduertit in particulari vel in genere debere se aliqua discere, quæ nescit.

49

Dico Secundo, Hæc ignorantia consequens, etiamsi crassa sit, minuit tamen rationem voluntarij.

*Ignorantia
crassa mi-
nuis ratio-
nem vol-
untarij.*

Probatur Primo, Quia facit ut opus non sit volitum in seipso, sed solum in causa sua: minus autem est volitum, quod in seipso non est volitum, quam id; quod in seipso est volitum: ergo minuit rationem voluntarij. Secundo, Qui ex ignorantia crassa operatur, facit id quod nollet, si sciret: ergo minus voluntariè operatur, quam si sciens faceret. Hinc Apostolus 1. Corinth. 15. dicit se misericordiam consecutum, quod ignorans persecutus esset Ecclesiam Dei: & tamen ipsius ignorantia crassa erat.

Aduerte, Ignorantiam per se & directè esse causam imminutionis voluntarij: idè enim minus voluntariè censetur facere, quia ignorat conditionem rei. Non ita est causa operis, aut voluntarij in opere, aut inuoluntarij, ut patet ex dictis.

D V B I V M III.

Vtrum Ignorantia consequens affectata minuat voluntarium, aut faciat ex parte inuoluntarium?

50
*Bonauent.
Almain.
D. Thom.*

D. Bonauentura in 2. d. 22. a. 2. q. 3. Almainus Tract. 1. Moralium c. 5. docent etiam hanc minuere voluntarium. D. Thomas hoc loco, & q. 76. a. 4. docet hanc ignorantiam potius augere, quam minuere voluntarium.

*Tribus
modis pot-
est quis
directè velle
ignorare.*

Sed notandum est, Tribus modis fieri posse, ut quis directè velit ignorare; Primo, Propter molestiam discendi vel inquirendi. Secundo, Ob cupiditatem aliquid agendi coniunctam cum voluntate non faciendi id, quod constet esse peccatum: ut si dubites de firmitate matrimonij; nolis tamen ulterius inquirere, ne tenearis abstinere: si enim apertè scires esse inualidum, omninò velles abstinere. Tertiò, Ut liberiùs peccet; seu ne per scrupulos, quos scientia ingenerat, vel alia ratione, à peccando auertatur.

His positis, Dico Primo, Ignorantia affectata primo & secundo modo, facit ut opus ex parte sit minus voluntarium, quam esset si cum scientia fieret; & etiam facit aliquo modo inuoluntarium.

*Ignorantia
affectata
quo modo
minuat vo-
luntarij.*

Probatur prior pars, quia efficit hæc ignorantia, ut opus, dum sic fit, non sit directè volitum; nam occultat operis conditionem. Cum enim voluntarium includat cognitionem; id quod priuat cognitione, priuat ratione voluntarij; ut rectè D. Bonauentura loco citato.

Alter a pars etiam patet, Quia ignorantia est causa cur faciat id quod voluntati displicet: ergo facit quodammodo inuoluntarium.

Dices, Ignorantia affectata est omninò voluntaria; nam est directè volita: ergo non potest minuere voluntarium, aut facere aliquo modo inuoluntarium.

Respondeo Negando Consequentiam; Sicut enim mortis metus in tempestate est omninò vo-

luntarius; tamen causat quodammodo inuoluntarium: ita ignorantia affectata, licet ipsa directè sit volita, potest tamen esse causa, cur aliquid minus voluntariè, & etiam ex parte inuoluntariè faciamus: facit enim, ut nò videamus illud, quod, si videremus; nollemus facere. Hinc sequitur, Hanc ignorantiam multum minuere de culpa, quia minuit de ratione voluntarij, & de ratione contemptus: minus enim censetur contemnere diuinam legem; qui ex huiusmodi ignorantia peccat, quam qui ex industria.

Dico Secundo, Ignorantia affectata tertio modo, etsi physicè minuat voluntarium, tamè moraliter non censetur minuere. De hac ignorantia loquitur D. Thom. & hoc modo exponendus est.

Probatur, Quia etsi illud opus, quod fit ex hac ignorantia, non sit ita expresse volitum, ac si esset in seipso volitum; eò quod ignorantia occultet operis conditionem dum fit: tamen coram Deo censetur æquè volitum. Ratio est; quia illud opus antea fuit directè volitum in genere, quando, ut liberiùs peccaret, voluit ignorare; & ita ardentè volitum, ut propter illud, ne impediretur, voluerit habere dispendium scientiæ: ergo non minus, sed magis censetur voluntarium, quam si simplici modo cum scientia fecisset. Multi enim peccant cum scientia, qui tamen non ita afficiuntur operi, ut velint propter illud ignorare; & à se amouere omnia impedimenta peccati in posterum. Confirmatur, Quia id quod sequitur ex vi maioris voluntatis, censetur magis voluntarium: atqui id quod fit cum tali ignorantia, sequitur ex vi maioris voluntatis: ergo &c. Secus accidit in primo & secundo modo ignorantie affectatæ. Nò enim illi volebant ignorare, ut liberiùs peccarent; sed alter ob laborem, alter ne grauius peccaret.

Dices, D. Bonauentura dicit generaliter verum esse, omnem ignorantiam, in quantum huiusmodi; excusare peccare: ergo etiam hæc excusabit, ac proinde minuet voluntarium.

Respondeo; Excusat qua parte est ignorantia, quia occultat conditionem operis: sed accusat & auget ratione causæ suæ; nempe ratione voluntatis liberiùs peccandi; quæ est causa ignorantie, & operis secuti.

D V B I V M I V.

Vtrum Ignorantia, qua non est causa actus, sed duntaxat comitatur actum, faciat actum inuoluntarium?

Respondeo & Dico Primo, Ignorantia comitans numquam facit actum inuoluntarij, siue ipsa sit voluntaria, siue inuoluntaria.

Probatur; Quia tunc dicitur quis operari cum ignorantia Comitante, quando nescit quid faciat; si tamen sciret, nihilominus vellet facere. Hinc fit, ut cum sciuerit quid fecerit, non displiceat, neque tristetur. Quod signum est nullo modo fuisse inuoluntarium. Vnde cum quis putans esse feram, interficit inimicū sagittâ emissâ, quem alioqui voluisset interficere, si sciisset esse inimicum, non inuoluntariè illum interficit, quia non displicet voluntati. Itaque aliud est facere aliquid ex ignorantia, seu per ignorantiam; aliud cum ignorantia; ut Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. docet. Quod enim ex ignorantia fit, displicet voluntati,

*Quando
nò minuat,
sed auget
potius.*

51

*Ignorantia
comitans
non facit
vnam
inuoluntarij.*